



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Tractatus Beneficiarivs, De Natura & Speciebus Beneficii Ecclesiastici: Item Simonia, pessima Beneficiorum Emprice**

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, 1696**

Angelistvtelaribvs, Summis Benefactoribus nostris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42013**



ANGELIS TUTELARIBUS,

*Summis Benefactoribus  
nostris.*

**T**ractatum de Beneficiis, cui re-  
ctius inscripsero, quàm vobis,  
Tutelares Genii, quorum pluri-  
ma in nos sunt beneficia. *Nobis*, inquit  
Petr. Chryl. serm. 69. *Superna Domi-  
nationes, nobis Angelorum officia excu-  
bijs militant indefessis.* Ipsi à primo na-  
tivitatis momento, teste D. Hieron. in  
cap. 18. *Matth.* in suam nos custodiam  
benignissimè suscipiunt, nòsque Fra-  
trum instar amant, ac fovent: in rebus  
afflictis & adversis solatio, in periculis  
subsidio, in via virtutis stimulo, in mor-  
te præsidio nobis sunt. *Quis existimet,*  
inquit Rich. de S. Vict. in cant. c. 4.  
*quantá charitate & curâ circa commis-  
sos sibi vigilant? quomodo torpentes ex-  
citent, & sollicitos, atque ferventes am-*

A a

plius

plus accendant? quomodo hinc mala excusent, inde bona divino conspectui representent? quomodo defendant, aut his gratiam obtineant? Vos o beatissimi Spiritus! teste Apost. caelestes flammæ & ignes estis; Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos flammam ignis. ad Hebr. 1. cap. lucentes, inquam, flammæ, quæ pietatis vestræ benignissimâ luce inter densas hujus vitæ tenebras, & tempestatum horrores, nobis salutis viâ ac semitam monstratis. Adest enim, ut loquitur Orig. Hom. 20. super Num. unicuique nostrum bonus Angelus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet: & S. August. in Ps. 62. Angeli attendunt nos peregrinos, & misereantur nostri, & jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus. Optimè D. Basil. hom. 3. in Ps. 33. præsertim in illum Ps. versum: Imminet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Angelos Tutelares castra Domini exercituum dixit, in salutē & tutelam fideiū divinitus erecta. Ob magnitudinem, inquit, ejus qui te custodit,

stodit,

*stodit, castra, munitionesque prabet Deus.*  
*Propter Angelis virtutem circumvallat*  
*te und que securitate, qua est per illum.*  
*Hoc namque in circuitu significat. Sicut*  
*enim muri civitatis circumducti omnes*  
*ex parte abarcent, propulsantque hostiles*  
*impetus; sic & Angelus te pramunit*  
*à fronte, & à tergo custodit, & nihil*  
*utcumque incustoditum relinquit. Verè*  
*bonis omnibus per vos, ô fidelissimi cu-*  
*stodes nostri! non modò repleti sumus,*  
*sed & quotidie replemur. Quàm igitur*  
*mercedem dabimus? aut quid dignum*  
*esse poterit beneficiis vestris? Novi, ad-*  
*modum gratum vobis deferri obsequi-*  
*um, qui estis administratoris Spiritus,*  
*quoties exemplo vestro erga alios offi-*  
*ciosi sumus; ac proinde non exigua mi-*  
*hi spes suboriri cœpit, fore, ut minimus*  
*hic Libellus, quo multorum utilitati*  
*servire volui, acceptum vobis munus,*  
*gratùmque esset. Et hac spe, ut mihi qui-*  
*dem persuadebam, minimè fallaci non*  
*leviter animatus, vobis, ô cæli Principes!*  
*qui quantum humilia ametis, vestris er-*  
*ga nos obsequiis luculentissimè com-*

os (o) So

probatis, parvum hunc laborem, magno  
cordis affectu, in signum & tesseram  
grati erga vos animi, pro tot collatis in  
nos beneficiis, humillimè offero & di-  
co, unà cum voto ardentissimo, ut,  
quos quotidie illuminatis, regitis, & gu-  
bernatis, pro coronide summorum er-  
ga nos beneficiorum, tandem, ad vi-  
tam æternam perducere non dedigne-  
mini. Ita unicè voyet, ac optat

Vestro Nomini

Devotissimus

C. B. S. J.

PRÆ-